



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Albertvs C. 3. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tis; quam quia jam unam & animo spirabant & ore loquebantur, linguam Columbus primò jussit præscindi, tum omnibus radicibus evelli. Etiam tum disertè loquentibus laudes DEO, quibus AIGVLPHO ad concionem mirâ faciendâ dicenti erui etiam oculos mandavit, gratulatuos puto sibi, quòd ab hinc monstrum hoc, tyrannum monachum visuri non essent. Ad extremum in insulam ejecti gladioque sunt cæsi. Ne tamen improbitas ob successus sibi plauderet, adfuit in somnis Columbo ipse AIGVLPHVS, & sanguinis sui guttâ in scelerati pectore ac tergo geminos circulos descripsit. Ex his simpliciter unum duntaxat reliquit, certissimū mortis omen, quâ Rex Clodoveus meritissimum affecit. Nam ut omnes scriptores taceant, facinoris immanitatem exæta linguæ loquuntur. *Ex Græc.*

S. ALBERTVS C. 3. Septembris.

Abque ventis adversis fuisset, nunquam animum ALBERTVS ad cælum appulisset, usque adeò malè Favonios sæpè vocamus. Natus in magnas opes, majores has artibus nō bonis effecerat, stultusque cælum dudū auro vendiderat. Ut tamen divitiis divitias, hoc est lutum luto adderet, velis remisque per lacum Verbanum contendit. Verùm exorta repente ingens procella  
alias

alias scilicet oculis undas Cocyti objecit, alium nautam Charontem. Ergo cum omnia jam unicum naulum crederet, & Orco debitum, vota cum velis vertit, & ut viveret, caelo vovit deinceps vivere. Arrisit continuo votis caelum, ut audisse hæc scires. Sed ecce in ipso portu naufragium. Opes omnes, (ne time lector) in miseros abjicit, inde conjuges inter velatas virgines abditâ, montem non sine ingenti labore conscendit, qui in eum, de quo mentionem fecimus, lacum excurrit. Hic caelo propior cum DEO jam commercia habuit, & com meatum à præternavigantibus demissâ sportâ lagenulaque accepit tam diu, dum Angeli denique victum è caelo ministrarent. Itaque cum Superum hospes necquicquam ab hominibus jam mendicaret, mortuum rati sunt accola. Sed vivere splendor casæ imminens ostendit, & pestis à vicinis populis ALBERTI & D. Catharinæ, cui templum ponere Angelus iusserat, precibus propulsata. Eidem templo illatus ALBERTVS, ambrosiam, quâ, cum viveret, pastus erat, mortuus etiam spiravit. *Ex vitâ B. Alberti.*

B. ROSA VIRGO, 4. Septemb.

ROSAM etiam in autumnno donamus, unam eandemq; & castis nivibus & verecundâ purpurâ formosam.

Pro-